DOMUS SAPIENTIÆ SEPTEM COLVMNARVM

INNIXA ROBORE,

Septem Sapientissimorum SERAPHICI Orbis Virorum Micantium, non errantium instar Planetarum,

CO RUSCA FULGORIBUS.

Panditur in publicam certaminis Theologici palæstram

PRÆSIDENTE

R. AD. P. F. NICOLAO DE CROS

Lectore Iubilato, Provinciæ Obser. Siciliæ Ministro Provinciali.

PROPUGNANTE

P. FR. PETRO LAZARO TERRER

Provinciæ Aragoniæ, in amplissimo Gymnasio S. Mariæ Angelorum Panormi Lectore Generali.

Pro Comitijs Generalibus habitis Romæ in Conventu Aracœlitano Die 13. Mensis Iunij M.DC.LXXXVIII.



NEAPOLI, Ex nova Officina Dom. Ant. Parrino, & Michaelis Aloysij Mutij. 1688.

SVPERIORVM PERMISSV.



EXCELLENTISSIMI DOMINI

D. ANTONII DE CARDENAS,

Manuel, Manrique de Lara Velasco, Hurtado de Mendoza,

Ducis de Naxera, Ducis de Maqueda, Marchionis de Cañete, Marchionis de Belmonte, Comitis de Treviño, Comitis Valentiæ Divi Ioannis, Domini Domus, & Primogenituræ Serenissimi Infantis D. Ioannis Manuel, inter Hispaniarum Proceres gemina Magnitudine, Magni,

EXCELLENTISSIMAE DOMINAE

PRIMOGENITAE FILIAE

DIGNISSIMÆ HÆREDI

Seraphicæ Religionis S. P. N. FRANCISCI Patronæ perpetuæ Colendissimæ benevolentissimæ,

Totius Religionis nomine Domum istam Sapientiæ humiliter consecrant, exoptant salutem, precantur felicitatem

FRATER NICOLAVS DE CROS

Provinciæ Siciliæ Observantium Minister,

ET FRATER PETRUS LAZARO TERRER

Sacræ Theologiæ Lector Generalis.

PRIMA COLUMNA.



Alexander Alensis.

OMnem excedit aleam Columna,
Quam suo firmat nomine, format omine
Alensis Doctoris ingenium.
Si in perquirendis felicitatem spectes,
Acutissimum;
In exponendis acumen,
Felicissimum dices.
Divinæ debent illi scientiæ,
Quòd humano expendantur captui.
Fons vitæ hinc dictus, Doctor Doctorum irrefragabilis

Cælesti siquidem epotam scaturigine,
Puriorem in scholis corrivavit Sapientiam,
Unde ad delitias ebibunt ingenia;
Quidquid uberrimis scientiarum propinant venis.
Tanti Doctoris si quis inspexerit doctrinam,
Nobilissimam inveniet eclipticam,
E qua illustriores vibrarunt (a) *radios*
Majora in Theologicis Luminaria,
Aquinas, inquam, ac Bonaventura:
Uterque Doctor:
Angelicus ille, Seraphicus iste,
Sed Seraphicus esse non potest,
Nisi esset Angelicus.
Plaudite Io scholæ!
Reciproci amoris congeminato miraculo,
Ac grata quidem conspiratione
Unus in omnium nomine triumphat.
Amborum immensis in laudibus
ALEXANDRI coalescunt encomia,
Seu errorum expellant noctes,
Seu Theologicos augeant dies.

SCHO-

(a) Bzovius Dominicanorum scriptor ad Ann.M.CC.L.

SCHOLA IRREFRAGABILIS
IN REGULAM B. FRANCISCI.

Reverendo in Christo Patri,&c.

1 REgula Fratrum Minorum,pia, Sãcta,pura,Evangelica,perfecta,observabilis, honesta,& utilis Ecclesiæ, est status perfectionis perfectior, cæteris alijs Religionibus nõ approbatis , ad minus secundùm quid.

2 Ignorantia notabilis supina,seù crassa Regulæ,nõ excusat trãsgressores à mortali: in ejus observantia vivere secundùm declarationes, seù determinationes Ecclesiæ , & summorum Pontificum , & secundùm glosã Doctorum approbatorum , est vivere secundùm Regulæ puritatem,quin stare ad litteram sit necessarium .

3 Quò ad declarationes Papales,servãdo illas Nicolai III.Clemẽtis V.& Ioannis XXII.puritas Regulæ obligatoria servabitur.Vxorato,Religionem Minorũ ingressuro, non sufficit licentia Conjugis , de jure communi requisita , sed ultra requiritur votum Castitatis ab uxore emissum .

4 Non obligamur Fratres Minores ad Testamẽtũ B.P.nostri Francisci,& solùm ex vi Regulæ tenemur ad id,quod in ea positum est præceptoriè, videlicet sub verbo , *præcipio*, vel *obedientiam injungo*, vel sub verbo inhibitorio,ut habetur 8. Cap. *Fratres nihil sibi approprient*; vel nisi sit de duodecim AEquipollentibus specificatis per D. Clementem V. Majori vinculo tenentur Fratres Minores obedire Domino Papæ,Ecclesiæque Romanæ,quàm alij Christiani, nec non quàm alij Religiosi ,

5 Generaliter loquendo,nulli Fratrum Minorũ licitum est per seipsum recipere,seù politicè contrectare denarios,vel pecuniam, nisi in extrema necessitate ; nec licet esse custodem denariorum quorumcunque , nisi violenta periculi necessitate cogente , & tunc seclusa obligatione custodiæ; nec per interpositam personam Fratri Minori licitum est accipere,vel politicè contrectare pecuniam,nisi in extrema necessitate : at non prohibetur vi Regulæ contrectare pecuniam purè physicè,& naturaliter .

6 Omnibus alijs præter Ministros,& Custodes prohibetur procura-

re

re pecuniã per amicos ſpirituales, ex vi illius clauſulæ *Miniſtri tantùm*, *&* *Cuſtodes*, qui nec poſſunt ad pecuniã recurrere pro futura, vel incerta neceſſitate, ſed dumtaxat pro præſenti, & imminenti.

7 Autoritate, vel nomine Fratrum, non ſolùm non poteſt pecunia peti, recipi, deponi, aut committi, ſed neque jam commiſſa, poteſt eorum nomine, ſeù auctoritate tanquam propria repeti, expendi, nec de loco ad locum, aut de perſona in perſonam mutari, deferri, mitti, aut tranſmitti; ſed totum hoc facere debet Dominus pecuniæ, aut ejus Depoſitarius quicunque, auctoritate, & nomine dantis ipſius, & ſecundùm ipſius dantis voluntatem.

8 Pecuniam datam, ſeù depoſitatã determinatè, ad aliquem uſum, ſeù neceſſitatem, ſeu pro aliquo Fratre, aut Conventu, non poſſunt Fratres, neque Depoſitarius eam convertere ad alium uſum, ſeu pro alijs Fratribus, aut Conventibus tranſmittere, aut deſtinare, niſi habeatur ſufficiens licentia, ſeù voluntas dantis expreſſa, ſi cõmodè poteſt haberi, aut probabiliter præſumpta.

9 Pecunia in teſtamẽto legata alicui Fratri determinatè, poteſt de Superioris licentia acceptari, ſi talis Frater neceſſitatem habeat, & de tali pecunia debet Prælatus eidem Fratri in neceſſitate providere, ut oportet, & aliàs expedit ſecundùm Regulam; quòd ſi talis Frater non indiget, ſeu ſi aliquid ſupereſt de tali pecunia; etiam determinatè legata, poteſt licitè expendi in alias neceſſitates Conventus.

10 Quãdo pecunia aliqua mittitur, vel offertur Fratribus indifferẽter, ita quòd per ipsũ mittentem, ſeù offerẽtem nihil aliud exprimitur, tunc poſſunt Fratres pro quacunque eorum neceſſitate talem pecuniam deſtinare: ſi verò pecunia determinatè mittitur, vel offertur per dantẽ, ad aliquem uſum, ſeù pro aliquo Fratre, vel Conventu, ſeu ſi quid aliquid exprimatur à dante, tunc ſine ejus licentia non poteſt aliter de ea diſponi: imò prædictam pecuniam miſſam, ſeu oblatam determinatè, poterunt Fratres acceptare, ſi egent illa, ad talem uſum determinatum, pro quo offertur; aliter minimè: neque poſſunt permittere, quòd deponatur, vel conſervetur.

11 Non est licitũ Fratribus acceptare pecuniã legatam in testamẽto, vel oblatam, seu missã expressè ad aliquem usum, seu cum aliqua conditione, seu modificatione, quæ non conveniat statui Fratrum, utpotè ad linteamina inducenda, vel camisias pro sanis Fratribus, vel ad tunicas purpureas, seù ad iocalia, vel pro habendis armis ad defensionem Conventus citra casum necessitatis, vel ad faciendum phialas argenteas, in quibus Fratres bibant, & alia hujusmodi.

12 Licet Fratribus iter agentibus ducere secum bursarios famulos, seu eleemosynarios habentes pecuniã, de qua faciant illis expẽsas in itinere, dũmodò causa talis itineris sit rationabilis, equippe ex obedientia, & quando Fratres irent per partes, ubi esset valde verisimile, quòd non possent commodè invenire necessaria victui sufficienter, mendicando.

13 Fratres possunt, de mercede laboris sui, licitè recipere necessaria, & ea, quibus egent; minimè autem superflua, sive indecentia, aut denarios, vel pecuniam.

14 Paupertas Evangelica, ad quã tenentur Fratres Minores vi suæ Regulæ: est virtus heroica, qua propter Deum renũciat Viator, & ab se abdicat omne jus civile, seù politicum, & omne dominium politicum, semper vivens de non suo, tam in communi, quàm in particulari.

15 Non possunt Fratres Minores donare aliquid, intra, vel extra Ordinem, nisi de licentia habita, vel probabiliter præsumpta ipsorũ Dominorum talium rerum: nec possunt recipere aliquid absque suorum Prælatorum licentia.

16 Cum Evangelicæ Paupertatis ratione, Fratres Minores sint facti incapaces cujuscunque dominij, juris, vel actionis pro temporalibus, sequitur, non posse habere privilegium ad litigandum, vel ad habendum jus aliquod pro sepulturis, pro Canonica portione, & hujusmodi; possunt tamen habere privilegia, non pro temporalibus bonis, sed pro exemptione à jurisdictione, & subiectione Ordinariorum.

17 Nullo modo possunt Fratres Minores esse, vel institui hæredes, aut successores Defunctorũ quorumcũque, directè, nec indirectè, nec jure directo, nec jure fideicommissi: at cum hoc stat, quòd pos-

possint esse Legatarij, idest, recipere eleemosynas ipsis in testamento relictas, dummodò talia Legata non relinquantur modo incongruo eorum statui.

18 Stando in foro Conscietiæ, securius est tenere, quòd per Bullas Cruciatæ, & per alia Privilegia generaliter concessa omnibus Christianis, nō intendit Papa, quòd Fratres Minores Observantiæ possint indifferenter confiteri, & absolvi à quocumque intra, seù extra Ordinem à peccatis reservatis Ministro Provinciali, & fortè nec à reservatis.



SECUNDA COLUMNA.



S. Bonaventura.

Ultimas doctrinæ metas,
Quas non plus ultra Doctorum,
Statuit Bonaventura,
Hæc felix Columna ostentat.
Quidnam succedat auspicatius?
Dum felicitatis omine (a)
A Francisco Parente Vaticinato
Innixa assurgit firmior,
Consolidatur securior.

San-

(a) Annal. Min. ann. 1221. num. 45.

Sanctitatis flammas,
Pietatis igniculos,
Quos Cœlesti in pectore
Seraphicus cumulaverat spiritus,
Ut servaret cautiùs, augeret feliciùs,
Francisci fovit Cineribus..
Morum suavitate
Scientiarum auxit Patrimonium:
Hoc ditavit studia,
Illa sui in omnibus studium excitavit.
Ad supremum moderaminis sedens Clavum,
Ubique prudentiæ Provexit, emisit oracu la,
Ac tanta in arduis prolusit mentis æqualitate,
Ut cœlesti crederes exploratum in Libra.
Candidissimis ornatus moribus,
Purpuram induens santificavit.
Bono Ecclesiæ natus auspicio,
Sivè in scholis peroraret Doctor,
Sivè in templis doceret Orator:
In cujus Panegyrim, solida in Exedris declamant oracula,
Publicà in Lyceis eloquuntur monumenta,
Quibus Pietas, Religio,
Scientiæ, AEternitati triumphant.
Plura docuit, plura scripsit
Seraphico plena spiritu, Seraphin digna elogio,
Terris nota, Cœlo gratissima.

SCHOLA SERAPHICA.

1 OMnipotens Deus Pater (verba sunt Doctoris Seraphici) Filius, Spiritus Sanctus unus est Deus, nam in unitate naturę numerali est realis pluralitas Personarum, quarum prima, scilicet Pater, à nullo est producta, nec producibilis, nec genita, nec generabilis, nec spirata, nec spirabilis, nec creata, nec creabilis. Secunda Persona, scilicet Filius, est genita à Patre, naturali productione, naturali fœcunditate intellectus per memoriam. Tertia Persona, scilicet Spiritus Sanctus, est à Patre, & Filio, non genita, nec creata, sicut nec secunda Persona est creata, nec spirata. Essentia autem divina est summè una, idest, nullo modo divisibilis in plures essentias. Secundò est summè simplex, idest, non composita ex multis rebus distinctis à se invicem re, nec componibilis cum rebus à se distinctis, sed quidquid est in ea, propter sui infinitatem, est una res cum ea. Tertiò est immensa, idest, ipsa per se ipsam est præsens omni rei, & personæ, per ipsã operatur in omni re, & manutenet, & intelligit omnia. Quartò est æterna, idest, non incepit, nec desinet, simul, & semel omnes perfectiones indivisibililiter continet. Quintò est incommutabilis, idest, nec substantialiter, nec accidentaliter mutabilis, nec generabilis, nec corruptibilis, nec aliquo modo perfectibilis, vel defectibilis. Sextò est necessaria, idest, ipsa non potest nõ esse, & omnis sua actio est ipsa essentia, & necessaria, quanquam terminus actionis divinæ ad extra non sit necessarius. Septimò est prima, idest, radix, & fundamentum emanationum, & personalium proprietatum, & omninò prima entitas inter omnia entia, & in divinis, & in creatis. Octavò in ea est summa fœcunditas, idest, memoria perfecta ad producendum Personam utramque; nam memoria, quam dicunt intellectivam, naturam Dei dicit cum intellectu, quæ fœcunda est respectu Verbi, & memoria, quam dicunt spirativam, naturam Dei dicit cum voluntate, quæ est fœcunda respectu Spiritus Sancti. Nonò est in ea summa charitas, idest, una numero voluntas in tribus Personis, & per consequens eadem volitio, & volitum idem. Deci-

mò est in ea summa æqualitas, idest, perfectio Patris non est major, nec minor perfectione Filij, similiter, & Spiritus Sancti, nec Filius est perfectionis majoris, vel minoris, quàm Pater, & Spiritus Sanctus: idem dicendum de Spiritu Sancto respectu Patris, & Filij.

2 Emanationes duæ sunt in divinis, scilicet generatio, & spiratio. Generatio est productio substantifica per modum naturæ. Spiratio est productio substantifica per modum voluntatis. Tres hypostases, seu personę sunt in divinis. Sequuntur quatuor relationes, scilicet paternitas, filiatio, processio, spiratio. Paternitas est generatio activa. Filiatio generatio passiva. Processio est spiratio passiva. Spiratio est spiratio activa. Innascibilitas est proprietas nobilitatis, scilicet à nullo produci. Proprietas personalis est, qua Persona propriè, & principaliter innotescit. Notio est, qua Persona innotescit, ut distinguitur ab alia. Filius dicitur imago, in quantum expressa similitudo Patris: dicitur Verbum, in quantum est similitudo expressiva: dicitur Filius, in quantum est similitudo hypostatica. Spiritus Sãctus dicitur donum, ut datum voluntarium, & pręcipuum. Essentia divina dicitur essentia, in quantum communicabilis in abstracto, sed dicitur substantia, in quantum cõmunicabilis in concreto. Sunt quinque modi dicendi simul, & quęrendi in divinis. *Quis* ratione Personæ, *qui* ratione hypostasis, *quæ* ratione notionis, *quod* ratione substantiæ, *quid*, sive *quo* ratione essentiæ.

3 Sapientia Dei est illa, qua limpidissimè Deus cognoscit omnia bona, mala pręterita, præsentia, futura, actualia, possibilia, & per consequens est infinita, nobisque incomprehensibilis. Sapiẽtia Dei dicitur *scientia*, in quantum est cognoscitiva omnium possibilium: dicitur visio respectu omnium actualiter existentium: dicitur *approbatio*, in quantum est respectu bonorum: dicitur *prę̨scientia*, in quantũ est respectu futurorũ: dicitur *dispositio*, in quantum est respectu fiendorum ab ipso Deo: dicitur *prædestinatio*, in quantum est respectu præmiandorum: dicitur *reprobatio*, in quantum est respectu damnãdorum: dicitur *lux*, in quantum est ratio cognoscendi omnia: dicitur *speculum*, in quantum est ratio cognoscendi visa, & approbata: dicitur *liber*

vitæ

vitæ,in quantum eſt ratio cognoſcendi prædeſtinata. Simplex Dei notitia eſt,qua cognoſcit Deus bona,& mala,quæ ſunt fuerunt, & erunt,& poſſunt eſſe,& nunquam erunt. Notitia viſionis eſt,qua cognoſcit Deus omnia mala,quæ ſunt, fuerunt, & erunt.

4 Ordo Angelorum eſt multitudo Cœleſtiũ Spirituum,qui inter ſe in aliquo munere gratiæ ſimilantur, ſicut & in naturalium donorum munere conveniunt.Hjerarchia divina eſt ipſa Trinitas increata. Hjerarchia Angelica eſt multorum habitudo ad invicem in ſcientia, actione,deiformitate, illuminatione, & in Deum aſcenſione.Hjerarchia Eccleſiaſtica eſt rerum ſacrarum, & rationalium ordinata poteſtas, debitum in ſubditis retinens Principatum. Angelus eſt ſubſtantia incorporea, intellectualis, ſemper mobilis,arbitrio libera,Deo ſerviens, gratia,non natura immortalitatem ſuſcipiens.Eſt in Angelis vera locutio, fitque, quia loquens,vel conceptum obiecti,vel ſpeciem,vel utrumque ſimul in audientis intellectu producit. ÆEvo menſurantur Angeli; qui in primo inſtanti omiſſivè, & comiſſivè peccare potuerunt.

5 Malum eſt privatio modi, ſpeciei,& ordinis;nam creatura comparatur ad Deum in ratione effectus cauſæ eficientis, formalis, & finalis, & ratione primi habet rationẽ modi, ratione ſecundi habet rationem ſpeciei, ratione tertii habet rationem ordinis. Malum culpæ eſt carentia debitæ honeſtatis. Malum pœnæ eſt abſtinentia debitæ delectationis cum ſenſu ſui contrarij. Malũ pugnæ,eſt culpa Diabolo in inſtigando, & eſt pœna juſto in repugnando. Malum ſecundùm ſe, & in ſe eſt, quod nullo modo poteſt bene fieri,ut eſt odium Dei. Malum in ſe, ſive in genere eſt,quod aliquando poteſt bene fieri, ut occidere hominem.Malum ex circumſtantia eſt,quod ex ſe eſt bonum, tamen propter aliquam circumſtantiam annexam fit malum.Peccatum Originale eſt carentia debitæ juſtitiæ per inobedientiam Adæ facta, quam comitatur carentia viſionis divinæ.Peccatum Actuale eſt carentia debitæ juſtitię facta per inobedientiam propriæ voluntatis. Peccatum Veniale eſt amor voluptatis in creatura citra Deum.Mendacium eſt falſa ſignatio vocis cum intentione fallendi.

lendi. Iurare eſt Deum invocare in teſtem ſuæ locutionis. Periurium eſt mendacium iuramento firmatum. Adulatio eſt ſermo laudis, alicui exhibitus intentione placendi. Maledicere eſt alicui plagas, vel pœnas, verbo optativo precari. Detractio eſt famæ alienæ denigratio. Inanis gloria eſt amor laudis propriæ propter excellentiam apparentem. Inobedientia eſt voluntas fingens minorationem poteſtatis, nolens ſubiacere Superioribus in debitis. Hypocriſis eſt voluntas per ſpeciem ſanctitatis, ſe ſimulans fallaciter in aperto, & viliter agens in occulto. Invidia eſt dolor, vel odium felicitatis alienæ.

6 Sacramentum eſt materiale elementũ, oculis ſubiectum, ſimilitudine repræſentans, inſtitutione ſignificans, ſignificatione gratiã conferens. Baptiſmus eſt tinctio corporis exterior, facta ſub forma Verborum præſcripta. Confirmatio eſt ſignatio hominis baptizati in fronte, facta ab Epiſcopo ad roborandum hominem in Fide. Euchariſtia eſt vera, & realis præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini. Pœnitentia eſt abſolutio hominis peccatoris pœnitentis à Sacerdote, clave non errante, pœnam ęternam in temporalem, divina auctoritate, commutante. Unctio extrema eſt unctio hominis infirmi à Sacerdote, in remiſſionem venialium peccatorum. Ordo eſt ſignaculum, quo ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato. Matrimonium eſt Viri, Mulieriſque conjunctio maritalis, inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem ſervans. Præmium ſubſtantiale conſiſtit in viſione, fruitione, tentione unius ſummi boni. Præmium conſubſtantiale conſiſtit in gloria corporis. Præmium accidentale conſiſtit in quodam decore ſpeciali ſuperaddito, & dicitur Aureola. Aurea eſt ipſa beatitudo ſubſtantialis. Aureola eſt gloria incorruptionis ſecundùm profectum trium virium animæ in carne operantium, videlicet vis iraſcibilis, concupiſcibilis, & rationalis. Aureola Virginum eſt gloria de incorruptione carnis, atteſtante incorruptionẽ mentis; Aureola Martyrum eſt gloria de invicta ſuſtinentia mortis pro Fide, vel pro Iuſtitia. Aureola Prædicatorum eſt gloria de incorruptione doctrinę ad alterum prolatæ, mente, verbo, & exemplo.

TER-

TERTIA COLUMNA.



Multiplici Scientiarum superata difficultate,
In admirationis portentum,
Quam cernis, Lector, sublimem,
Subtilissimus SCOTUS *posuit columnam.*
Quis ultra progreditur?
Quiquid suo feliciter permeavit ingenio
Metam dicendi, docendi fecit;
Ac si fatearis acutissimum
Diffitearis parem.
Immortalis nominis,
Immortalis Doctor,
Miris doctrinæ præconijs,
Orbis Terræ plausus lacessivit,
In omnes planè iturus,
Ni præ omnibus emineret Fama.
Infestis pareant jurgijs
Hybernia, Anglia, Scotia:
Dum suum quæque facit,
Omnes SCOTUS *condecorat.*

Am-

Amplissimis trium Regnorum.
Non circumscribitur finibus,
Qui totum nomine complevit Orbem.
Nihil tam præruptum, impervium,
Nihil tam densa involutum caligine,
Quod perspicaci ingenij acie non collustrarit,
Subita doctrinæ face non illustrarit.
Illum nemo vidit in terris,
Quin eruditum putarit in Cœlo:
Virtutem cum lacte imbibens, cum ætate corroborans,
Revocavit in dubium;
An in ipso differrent Natura, & Virtus?
Minoritam agens, antequam fieret,
Qualis esset futurus,
Edocuit, antequam esset.
Beata Religio!
Quæ Præceptorem habere merveris,
Qui divina æquè docere potuerit, ac patrare.
Eruditorum Optimus, optimorum eruditissimus,
Cum vix doctior posset vivere,
Diutius vivere noluit.
Cum Sapiens Sapientia vivat,
Dum sciret, quod creatura poterat,
Non potuit vivere plus.
Ab ortu ipsius usque ad occasum, totus fuit ipse lux.
Natus est in Territorio lucis:
Vixit in Seraphico Cœlo:
Mortuus est in cœlesti Aurora,
QUIPPE AD EXITUM CONCEPTIONIS.
Luxit Stella major Inter MINORES,
Ut Lucifer Præcursor Auroræ,
Contra puritatis nocturnos hostes,
Et, ut Ecclesiæ Sol,
Inter reliquos Doctores.
Lucebat omnibus per doctrinam,
Ardebat Deo per charitatem:
(Erat quippe lucerna lucens, & ardens)
Sicque contigit,
Quod intuens secreta cælestia,
(CONCEPTIONIS MYSTERIUM)
Ioannes ille cinericius Sol
Ita inflammaretur, arderet.
Ut per amoris, & ardoris deliquium,
Feliciter deveniret
Ad Ecclipsim, Extasim, vel Occasum.

SCHOLA SVBTILIS.

1 Deus, ſubſtantia completa, ſpiritualis, vivens, à priori evidentia phyſica indemoſtrabilis (quamquàm à poſteriori demonſtrari poſſit exiſtens., & unus) non intellectione ſua formali, non exiſtentiæ conceptu, aut perfectionum ſuarum cumulo formalitèr conſtituitur, ſed per ejus intelligere radicale.

2 Deus talitèr eſt infinitus, ut ab infinitatis conceptu nec ex natura rei ſecernatur, non autem ita eſt intelligens, & volens quòd volitio, & intellectio inter ſe, & utraque à divina eſſentia, imò volitio, & intellectio ab earum potẽtijs formalitèr ex natura rei non disjungantur. Taliter eſt potens ad extra, quòd poſibili, etiam facto impoſſibili, perfectiſſimus omnipotentiæ conceptus haberetur.

3 Sãctiſſimæ Triados ineffabile Myſterium, ab omni creato intellectu, quamtùmuis vivido pollenti obtutu, penitùs indemoſtrabile, duas reales proceſſiones importat; ac proinde dantur in Deo veræ, & reales relationes originis, ex natura rei à divina eſſentia diſcretæ, propria gaudentes exiſtentià relativa, nulla tamen perfectione.

4 Verbum ideò Filius, quia ex vi formalis proceſſionis evadit ſimilis in natura: generatur per dictionem formalitèr ab intellectione alteram: at Spiritus Sancti proceſſio ex eo non generatio, quia non ex ſuo conceptu eſt aſſimilativa; nec eſt per actum eſſentialem amoris, ſed per notionalem ſpirationẽ, non conſtituẽtẽ Perſonam, nec diſtinguentem; talitèr quòd, ſi Spiritus Sanctus à Filio non eructaret, adhùc ab eo perſonalitèr differet.

5 Deus ex intrinſecis ſuæ ſubſtantiæ intellectivus, repugnat quòd volitivus nõ ſit; ſicut & quòd appetitu innato erga creaturas ſe exerceat, cum is appetitus ſolùm ſit ipſi non indecens erga ſua prædicata. Se diligit Deus neceſſariò quò ad ſpeciem, & quò ad exercitium; minimè autem ſe, aut ſua prædicata amore ſtricto proſequitur, ſed concupiſcentiæ, & latæ amicitiæ. Ex quo Deus ſimplici complacentia poſſibilia diligit liberè, non ſat infertur amare poſſibilem peccati malitiam in ſub-

ſtrato

ſtrato conſideratam, cui dilectionem Dei terminare prorſus repugnat. Nequit Deus amare unam creaturam proptèr aliam; neque in ipſo decentèr ponitur moralis ulla neceſſitas ad optimum.

6 Actus liber Dei non conſiſtit in aliquo extrinſeco, nec in volitione Dei intrinſeca, ſimul, & in aliquo extrinſeco; ſed in entitate intrinſeca Deo abſolutè indefectibili; nempè in ipſo actu neceſſario. Repugnant in Deo pura omiſſio libera, decretum ſemel factũ per ſubſequens oppoſitum revocari, decretaque ſua ceſſare in tempore, vel deficere: vellé verò, & nolle, quin obiecta mutentur phyſicè, non repugnat.

7 Prædeſtinatio, quæ præſcientia eſt, & præparatio beneficiorum Dei, quibus liberantur certiſſimè, quicumque liberantur, formalitèr in actu voluntatis conſiſtit. Non ſufficit volitio illa inefficax *volo omnes homines ſalvos fieri*, ut aliquis ſalvetur in tẽpore; ſed requiritur actus Dei efficax de illius ſalute ab æterno, ut homines ſalventur in tempore. Natura ſi abſq; ſubſiſtentia poſſit exiſtere, ita eſt à Deo prædeſtinabilis. Prædeſtinatio hominum non eſt ad reſtaurandam ruinam Angelorum inferioris numeri, ac ſunt Angeli prædeſtinati. Vnuſquiſq; in die Iudicij reſurget in proprio ſexu. Primum auxilium mereri nequit creatura per aliquod bonum opus antecedens, concomitãs, vel futurum; major perfectio in naturalibus eſt ad prædeſtinationem ſingularis congruentia: prædeſtinatio ad gloriam, & ad ipſius gradum determinatum, meritorum prævisionem abſolutam non ſpectat. Sunt prædeſtinationis effectus vocatio utraque inefficax, & efficax, gloria, permiſſio peccati, atque merita, quæ à libertate procedunt.

8 Reprobatio negativa nullam ſupponit cauſam ex parte Reprobi, ſicut poſitiva requirit in iſto ordine providentiæ; in alio verò poſſet Deus poſitivè reprobare ante de merita, decernendo excluſionem à gloria per modum pœnæ. Peccatum non eſt effectus poſitivę reprobationis, ſed dumtaxat pœna æterna.

9 Viſionis intuitivæ Dei poſſibilitas, quam à fide accepimus, nõ poteſt à noſtro intellectu pro ſtatu hoc demõſtrari, benè quidem ab Angelo, & Anima ſeparata. Repugnat, Deum oculo

cor-

corporeo videri; ſubſtantiam eſſe impeccabilem per naturam; eſſentiam naturaliter ad viſionem concurrere; viſionem actionem eſſe, & non qualitatem; lumenq; totam rationem agendi; at non dicit contradictionem, eſſentiam videri ſinè attributis, vel Perſonis, & unam Perſonam abſque alia.

10 Divina ſcientia, quam Fides ſtabilitam relinquit, & naturalis etiam ratio demonſtrat, non ex conceptu ſubſtantiæ immaterialis probatur, ſed ex ratione primi principij operativi. Vileſceret intellectus Dei, ſi à creatura aliqua moveretur: undè obiectũ motivum, ac terminativum primariò eſt ſola divina eſſentia præciſa, conceptibiliter ex natura rei ab attributis, & relationibus conſiderata. Certò, & infallibilitèr prænoſcit Deus omnia quæcumque futura contingentia libera, & conditionata; verùm non in decreto abſoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti, nec in decreto moraliter efficaci; nec in indifferenti, nec in concomitanti ſimultaneo; ſed in decreto conditionato ex parte actus efficaci, & determinato ad unum, cum præſcientia de inclinatione libera voluntatis facto. Opinionem valde ſubtilem noſtri Doctiſſimi Soſa de cognitione divina futurorum conditionatorum in ſe ipſis per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, correſpondentem in nobis apprehẽſioni ſimplici, ac judicio formali, & tanquam Mariani Doctoris menti conformẽ & humanæ libertati, ferè præ omnibus, propitiam, pro viribus ſuſtinemus.

11 Angeli (quorum exiſtentia naturaliter demonſtrari non poteſt) ſuum eſſe, ſeu exiſtentiam receperunt immediatè à Deo. Fuerunt creati in eodem momẽto cum mundo corporeo, non in Cœlo Empyreo, ſed in Sydereo, admiſſa hypoteſi. Sũt merè ſpirituales, quanquam hoc nõ ſit de fide, nec ejus oppoſitum aliqua cenſura dignum. Cõponuntur ex genere, & differentia; ex eſſentia, & exiſtentia; ex tota eſſentia, & hæcceitate; ex hoc numero individuo, & ejus perſonalitate; ex ſubiecto, & accidenti: non verò ex materia, & forma. Sunt immortales, ac incorruptibiles; poſſunt tamen à Deo anihilari. Non implicat ſpecifica diverſitas illorum; nec numeralis pluralitas ſub eadem ſpecie. Poſſunt, quãtum eſt ex ſe, ſecreta cordium, nedum præterita, ſed præſentia cognoſcere; quin & nonnulla entia ſupernaturalia

ſe-

ſecundùm ſuam entitatem abſolutam. Manent in loco non per operationem, ſed per ſuam propriam ſubſtantiam. In primo inſtanti receperunt gratiam; in ſecundo diſcordarunt Diaboli, qui potuerant in primo. Primum Luciferi peccatum formaliter fuit luxuria ſpiritualis.

12 Supremus Orbis Conditor extra Paradiſum terreſtrem produxit Adam, ipſumq; originali ditavit juſtitia, & donis ſuperexcellentibus undequaque cinxit; inter quæ plenam conceſſit vitæ ſecuritatem, ſi unum à ſe impoſitum cuſtodiret præceptum: unde, ſi in eo perſeveraſſet ſtatu, nunquam mortuus fuiſſet, ſed tandem, expletis meritis, ad Paradiſum raperetur à Deo in gloriam.

13 Præter juſtitiam originalem, quæ eſt habitus ſupernaturalis in entitate, gratiam quoque habitualem primo Parenti infudit Deus; eoque excepto, nullus in eo ſtatu innocentiæ ſuis poſteris talem juſtitiam demereri potuiſſet. Perſeverante illo ſtatu, non reprobi, ſed ſolùm electi fuiſſent tunc producendi; adeoq; omnes homines, qui in ſtatu innocentiæ fuiſſent nati, eſſent electi, & prædeſtinati ad gloriam; & illi ſoli, qui de facto naſcuntur, & ſunt electi, naſcerentur ibi, nec plures, nec pauciores: Vnde, qui modò ex parentibus reprobis naſcuntur electi, in illo ſtatu ab innocentibus fuiſſent naſcituri.

14 Homines pro illo ſtatu perfectiſſimum rationis uſum habuiſſent in primo animationis momento; quod privilegium utique Beatiſſimæ Virgini fuit cōceſſum in primo ſuæ Cōceptionis inſtanti: Primi parentes habuerunt ſcientiam infuſam rerum omnium, habitumq; Fidei, præſertim Chriſti venturi ad glorificandum genus humanum.

15 Breviſſimo pomi oblectamento, juſtitiam, & gratiam, quam acceperat à Deo Adam, voluntariè amiſit, & juſtas inobedientis pœnas experiri cæpit. In eodem puncto, in quo prævaricatus fuit Adam, omnes ejus poſteri debitum peccandi contraxerunt, excepta Beatiſſima Virgine; quæ, ex meritis Filij ſui quoad ſubſtantiam prævisis, prædeſtinata fuit ad ſummam gloriam poſſibilem, ad ſummam gratiam habitualem, & originalem juſtitiam à primo inſtanti ſuæ Conceptionis. Peccatum originale conſiſtit formaliter in privatione juſtitiæ originalis, & gratiæ

ha-

habitualis; ita quòd singulę privationes concurrunt partialiter, & inadæquatè ad rationem ejus adæquatam constituendam.

16 Verbum carnem factum fuisse, ut misera natura humana sublevaretur, Auctore Augustino, non fuit simpliciter necessarium; potuit namque de suo velle ab soluto omnipotens Deus nostrã ita redemptionem disponere, ut quos unus homo Adam perdiderat, alter restauraret condignè, maximè cum malitia peccati nõ obstaret, ut infinita. Vnio hypostatica nec in ratione unionis, nec in linea doni maxima, nõ reddidit humanitatem Christi impeccabilem formaliter ex conceptu suo; sed talis fuit à manutenentia divina: quare intrinsecè non benè ponitur humanitas Christi Domini impeccabilis. Christus, qui primogenitus ante omnem creaturam à Patre prædestinatus est, veniret utique in Mundum ad glorificandum, etiam si prima culpa parentum non intercederet.

17 Christus Dominus Sacramentorum Sapientissimus Auctor, ita eorundem determinavit materias, & formas; ut omni lege, & quocumque jure invariabiles reliquerit. Sacramenta non physicè causant gratiam, quã significant, sed moraliter. Potuit Angelo, vel homini communicari potestas Sacramenta instituendi. Baptismus non sub præcepto fuit statim post passionem Christi; non validè administratur, si ejus forma proferatur, non exprimẽdo Sanctissimam Trinitatem: potest licitè conferri infidelium infantibus invitis Parentibus. Materia Sacramenti Eucharistiæ non potest esse illud parum aquæ, quod vino immiscetur. Pœnitentiæ Sacramentum nequit esse validum, & informe. Pœnitentia virtus non est infusa, aut supernaturalis quò ad substantiam. Peccatum, quod non in privatione gratiæ consistit, delebile est de posse Dei absoluto absque pœnitentia, & per hanc in peccato factam potest exsolvi pœna, quæ debetur, post peccatum dimissum. Non potest licitè Cofessarius de licentia pœnitentis Confessionem revelare. Matrimonium, quod liberum utriusque contrahentis consensum ad validitatẽ exposcit, per circumstantiam honestam, in contractu explicatam, non irritatur. Sanctissima Virgo ante matrimonium jam voverat castitatem.

18 Charitas in voluntate subiectata, gratiæ habituali identifica-

tur

tur realiter, solùmque connotatis diversis ab ea differt. Primariũ ejus obiectum, & adæquatum est Deus, quà infinitè bonus, atq; perfectus secundùm omnem rationem entis. Naturalis Dei dilectio super omnia non differt formaliter in motivo à supernaturali. Charitas in via, & in patria est eadem specie: potest ejus actus in aliquo viatore perfectior esse, quàm in aliquo beato: est alijs virtutibus perfectior, earumque vita, radix, & forma, sed moraliter solùm, non physicè, & ex natura rei. Fides, quæ post lapsum primi Parentis omni tempore fuit ad salutem necessaria; quæquè nec in voto sufficit, sed requiritur in re, respicit pro obiecto *quod*, Deum ipsum; pro formali verò, & *quo*, primam in dicendo veritatem: cum charitate, & sine illa, formata, vel informis conservatur, Deum per se, vel per alios posse mentiri; vel alicui erroris speciem immittere, nũquam prorsus possibile est. Spes fide perfectior respicit pro obiecto formali bonitatem divinam, ut est apta perficere, & nos delectare. Potest de potentia absoluta Deus alicui, etiam justo, damnationem suam revelare; cui autẽ certò fieret talis revelatio, non posset, nec teneretur sperare beatitudinem: imò si desperaret, & ipsam nollet, non peccaret.

19 Causa formalis nostræ justificationis est sola gratia habitualis, suscipiens magis, ac minùs per realem gradus ad gradum additionem: illam educi suadet ratio; creari prætendit authoritas: ergo utrumque probabiliter sustinemus. Contritio non habet vim de facto justificandi formaliter; potest de possibili, sed ex acceptatione: nec procedit à gratia habituali efficienter, sed à speciali auxilio, & libero humano arbitrio. Gratia, & peccatum possunt de potentia absoluta compati in eodem subiecto: posset quoque Deus per donum à gratia distinctum, vel nullo infuso intrinsecè dono in anima, aliquem sanctificare. Ad justificationem, quæ gratuita est, & opus Dei, non tamen miraculosum, ratio voluntarij, & contritionis regulariter prærequiritur in Adultis, ut dispositio moralis; haud ex natura rei ad gratiam recipiẽdam. Nulli se esse in gratia, fidei, vel Theologica certitudine, aut morali, omnem excludente formidinem, certò constare potest.

QUAR-

QUARTA COLUMNA.



AUream Aureoli facundiam
Docta delineavit, penna depinxit penicillo,
Sixti Senensis ingenium,
Dum illum omni ſcientiarum peritia
Clariſſimum deſcripſit:
At licet tantum prædicaverit
Magna ediſſerens, majora repoſuit.
Ejus doctrina major ingenio,
Ingenium ſcientijs.
Si quis omnes complecti voluerit,

Unam Aureoli præmittat facundiam,

E omnibus carus, quod proſpexerit, ne deſideraret.

Ampliſſimum ſcientiarum Patrimonium,

Stricto eruditionis vinculo,

Subtiliſſimis Franciſci Scholis legavit.

Theſaurum quippe ingenio quæſitum,

Ingenio tenendum curavit,

Ac ſuorum faciens, proprium auxit.

Fœlicitatem Eccleſiæ reddidit

Purpuram induens.

Fidem ornavit moribus, ſtylo defendit,

Ac ut eminentiùs omnibus præluceret

Merita meritis illuſtravit.

Mundo extinctus,

Clarior in dies grandeſcit in Exedris,

Poſthumis fœlicior, reviviſcit in Glorijs.

De Conceptione Beatæ Mariæ.

1 ORiginalis culpæ triplex materiale est necessariò admittendum de mẽte Doctoris Facundi. Remotum, propinquum, & proximum. Remotum fundamentaliter sumptum, ad immoderatè concupiscendum delectabilia, connaturalem propensionem; formaliter verò conceptum, capacitatem, seù non repugnantiam, vel negativum ordinem ad originalis peccati contractionem, importat. Propinquum de materiali pronitatem eandem, de formali verò spectatum debitum superaddit habendi originalis justitiæ donum, à Deo liberaliter oblatum, & in Adam à Posteris ejus acceptum, clauditque insuper ferè positivum, indifferentem tamen, ad peccatum originale respectum. Proximum denique utrique memorato materiali duplicem relationem formaliter addit; alteram ad primi Parente transgressionem, ut ad propiam causam, alteram verò quasi ponĩivam, simulque determinatam ad originariam humani generis labem. Sed quanquam correspondenti distinctione, partiri debeat pronitas sentientis appetitus in homine, videlicet prima, quæ convenit ipsi in suis naturalibus posito; secunda post initum pactum cum primo Parente, & post acceptam originalem justitiam in illo; tertia verò post ejusdem Parentis delictum: unicum tamen, & solum est immediatum, adæquatumque materiale originalis peccati id, quod postremo descriptum in humana voluntate reperire conclusi; ea tamen lege ut connotet simul sensitivi appetitus propensionem, quæ Protoparentis culpam subsequitur. Explicatum materiale originalis maculæ, illa concupiscentia est, illeque fomes, de quo sess. 6. in dec. de pecc. orig. can. 4. Tridentina Synodus asserit, quòd in baptizatis ad agonem relictus, licèt non propriè peccatum, ex peccato tamen est, & ad peccatum inclinat. Hoc ipsum materiale est illud, quod ex Tridẽtino eodem, liberum hominis arbitrium, viribus inclinatum, & attenuatum, totamque naturam humanam secundùm corpus, & animam in

de-

deterius commutatam importat.

2 Humanarum potentiarum gubernaculum, quippe originalem juſtitiam, qua Deus inſignivit Adamum, iſte mortaliter peccans, pro ſe ipſo, & poſteris ſuis, amiſit: expreſsum etenim pactum cum illo Deus inierat; aſſerens, ſe cunctis ab ipſo naturaliter deſcendentibus, originalem exhibiturum juſtitiam, ſi præceptis obediens, illam cuſtodiviſſet; quò factum fuit, ut non ex eo, quòd Adam pro ſe, & pro tota natura, quæ tunc exiſtebat in ipſo; ſed ex eo, quòd Adamo juſtitiam accipiente formaliter, virtualiter acceperint illam in ipſo ſinguli deſcendentes ab eo, verum, propriumque omnes, & ſinguli contraxerint debitum habendi ejuſdem juſtitiæ donum, virtualiter, inquam, non ea tamen ratione, quaſi verò poſteri, vel quatenus phyſica, vel quatenus morali continentia virtualiter in primo Parente contenti, juſtitiam acceperint; quoniam ea data ſententia, non unicuique proprium, verũ commune potius ineſſet omnibus tunc debitum habendi juſtitiam: ſed virtualiter, ea ſolummodò lege, ut primo Parente fc maliter, ideſt, conſequente voluntate accipiente juſtitiam, ſinguli Poſteri ſingulas juſtitias eadem datione, à Deo libenter oblatas, virtualiter, ideſt, antecedente voluntate ſe ipſis in ipſo receperint.

3 Ad rem ergo, & ſi non ſit, cur revocetur in dubium, quòd originale contagium Poſteros omnes infecerit, dum diſertis verbis affirmativam ſententiam protulerit catholica fides; nimia tamen dubietate perplexi, in eo vehementer inſudant Scholaſtici Doctores, ut fundamẽtalem invenire valeant rationem, unde declarent, quòd non ſolùm, ut pœna, ſed etiam, ut culpa formaliter univerſis mortalibus labes originaria inſit. Mihi autem probari numquam potuit ſẽtentia illa, quæ ſuſtinet, ideò poſteros omnes originalem culpam contrahere, quia cuncti cauſaliter, veluti in capite naturali, ac propagativo continentur in Adam. Sed quomodo, quæſo phyſica iſthac, virtualiſque continentia ſuffragabitur ſic aſſerentibus, ſi non ex natura rei, ſed ex ſolo divino decreto, quatenus videlicet ad divinum pactum cum Adamo initum involuit reſpectum naturalis deſcendentia poſterornm, ad originalis peccati contractionẽ concurrat? Quid pręterea ſuffragabitur,

tur, si nullatenus Posteri virtualiter continentur in Adam quantùm ad proprias voluntates, in quibus subiectivè persistit originale peccatum?

4 Nec unquam mihi, etsi plausibilis, etsi communior, eorum arrisit sententia; qui, ut rationem voluntarij, & consequenter verum culpæ conceptum salvent in originali culpa contracta, fatentur, Adamum non naturale dumtaxat, sed morale insuper extitisse caput Posterorùm suorum; atque hinc, voluntates eorum virtualiter in Adamo, ut in morali capite clausæ ceciderunt cum ipso; sicut è contra, si stetisset ipse, stetissent & illi.

5 Fateor equidem, Parentem primum, non solùm naturale; sed morale insuper extitisse caput humanæ propaginis; ea tamen ratione dumtaxat, ut ipso accipiente, nos etiam acceperimus, & ipso amittente, nos etiam acceptam justitiam amiserimus: unde Posteros peccasse in Adam, nihil aliud est, quàm amisisse justitiam, & amisisse justitiam in ipso nihil aliud est, quàm intuitu demeriti primi Parentis acceptam perdidisse justitiam.

6 Verùm ut dignũ Filio suo habitaculũ præpararet Altissimus, Deiparam Virginem, etiam in ipso suæ conceptionis instanti, ab omni prorsus labe præservavit peccati, fecitque insuper, ut ea puritate niteret, qua major sub Deo nequit intelligi. Quapropter si proprium supremæ puritatis hujusce conceptum seriò penetrare velimus, tres inde conclusiones licebit inferre. *Prima* est, quòd innocentia totalis (à qua nunquam cecidit, ita inter omnes puras creaturas soli Deiparæ Virgini congruit, ut meritò postmodùm, non solùm quantum ad inclusionem gratiarum, & gloriæ, sed etiam quantum ad exclusionem omnium culparum super omnes Angelorum choros exaltatam potuisset eam canere Ecclesia. *Secunda*, quòd nullus in primo productionis instãti, nec Angelus creatus, nec homo fuerit in gratia conceptus, ut sic solùm de Christo naturaliter, & adoptivè de Virgine, verum existat, quòd in primo ipsorum conceptionis instanti ad æternam hæreditatem possessivum jus acquisiverint. *Tertia*, quòd non in gratia dumtaxat, sed in gloria fuerit etiam concepta in primo productionis instanti, ita videlicet, ut in eodem primo productionis instanti transeunter intuitivè Divinam essentiam aspexerit:

quam veritatem nō solum Aureoli, sed etiam Scoti vestigijs hærens, ex illius doctrina deduco; quoniam, ad aures ipsius, innocentiæ status nō ea fulgebat perfectione, quin sibi compossibile fuerit peccatum veniale; quod tamen, ut Tridentinum fatetur, omnino longiùs deflexit à Deipara Virgine: ergo necessariò concipi debuit in alio statu perfectiori, quàm fuerit innocentiæ status: ergo concipi debuit in gloria.

7 Deus igitur permittens, ac præuidens in quarto signo homines casuros in Adam, Virginem tunc à communi casu præservare decrevit, Christi Domini intuitu meritorum, eorum videlicet, quorum valore ad gloriam, ad gratiam, & maternitatem divinam, antecedēter ad omnem prævisionem peccati, præordinaverat, & elegerat ipsam, ac ita prævenit, ut nullum debitum, quantumuis remotū, contrahendi culpā originalē; in ea reliquerit, nec ulli congruentiùs promereretur Christus aliam unionē hypostaticā, si promerēda foret, sicuti Beatæ Virgini, etiā ut cōsideratur pro conceptionis instanti. Conceptio Deiparæ miraculosa, & supernaturalis ex parte Parentum fuit ipsis prænuntiata per Angelum Gabrielem. Sanctissimus Pater Innocentius XI. qui feliciter nunc regit Ecclesiam (o! millenarios vivat tantus Pontifex) potest jam sine Concilio, ac Cardinalibus propositionem hanc definire de fide: *Virgo est concepta sine peccato originali*: hæcq; propositio sufficiens materia est, circa quam potest tendere votum, sive jusjurandū, etiam usque ad sustinendam mortem pro defensione illius taliter, ut si quis vera pietate ductus pro hac defensione mortem subiret, aliorum Martyrum consortio associari deberet. Nulla magis idonea creatura, ut redimeret genus humanum, si per puram creaturam futura fuisset redemptio, quàm Maria Dei genetrix; quæ capax fuit novos gratiæ gradus merendi usque ad instans mortis. Immaculatissimam igitur Angelorum Imperatricem, non minùs animæ, quàm corporis, omnimoda puritate decoram. Reginam nostram, totam, ac totaliter pulchram, omnisque maculæ prorsus expertem, humillimè salutemus, ac millies repetamus illa Gabrielis Angeli verba *Ave gratia plena*, quibus non obscurè immaculatissimæ Cōceptionis suæ Mysterium sibi, nobisque reverenter expressit.

QUIN-



Occhamus.

ACutissima Nominalium *Schola*

Uno Occhami sub Nomine

Innumeris proludit triumphis.

Nobilis Venæ inceptor, ac Doctor singularis dictus,

Omnium fœcundavit ingenia,

Quod suo corriuatum uberiùs,

In eximium admirationis monumentum,

Optimis librorum exhibuit monimentis.

Subtilissimo speculationum radio

Sublimiora quæque feliciter colluſtrans,

Se ipſo major,

Nulli ſecundus,

Primas in literaria palæſtra ſemper obtinuit,

Seque in omnibus dum admirabilem exhibet,

Mirùm in ſingulis quantum eminuit.

AEque laudanda meditans,

Ac legenda ſcribens,

Famam æquavit Nomine,

Nomen ſuperavit ingenio.

Firmiſſimum nacta columen,

Nacta Columnam

AEternitati vivit

Nominalium *fama.*

SCHOLA SINGULARIS.

De Potestate Pontificum.

1 Pontifex dominium temporale à Constantino trahens, totam illam potestatem habet tum ordinis, tum jurisdictionis, quæ data est Divo Petro extra precisam Apostolatus rationem. Est successor Divi Petri, non illius Vicarius, sed Christi; immediatè à Christo derivatur sua potestas: potest convocare Concilia generalia: ab eo non potest dari appellatio: Non potest dispensare cum simplici Sacerdote, ut benedicat Chrisma; nec ut in Eucharistia consecretur una sola species vel panis, vel vini, nec in Matrimonio consummato.

2 Ecclesia Catholica, sicut & Concilia generalia approbata, infallibilia sunt, nec cadere, vel in Fide reformari unquam potuere. Ut Concilium sit OEcumenicũ, ac legitimè in suis resolutionibus procedat, non requiritur, omnes Pastores, vel etiam Mundi Episcopos in simul convenire, nec quidem majorem partem; requiritur tamen, ut omnes Episcopi orthodoxi citentur, & ex pluribus Provincijs, qui velint, conveniant, Conciliumque legitimè confirmetur. Sancti Patres, & Theologi omnes subijciuntur censuræ, & correctioni Pontificis Romani in suis opinionibus, quando in traditione Fidei non fundantur, sed in mera probabilitate, ut sunt plures sententiæ Augustini de prędestinatione, & gratia. Definitiones Conciliorum generalium approbatorum, statim post publicationem obligant omnes fideles, taliter quòd nulli resistere queant, vel de illis cognoscere, absque hæresis nota.

3 Hæresis est error voluntarius contra veritatem Fidei divinæ ab homine Christiano susceptus, & pertinaciter retentus. Pertinacia, sive contumacia est: prava animi affectio circa authoritatem infallibilem docentis veritates fidei.

4 Catechumenus non propriè subiectum est hæresis, nec habens revelationem privatam ab ipso Deo de aliqua veritate, nec audiens Concionatorem præcisè, si aliàs inter Hæreticos fuerit na-

tus,

tus,& cum ipsis institutus: nec audiens syllogismum conflatum ex una propositione de Fide, & altera naturali evidenti, erit tamen Hæreticus, ab Ecclesiaque punietur ut talis, dubius in fide, formali dubitatione, ac deliberata.

5 Ecclesiasticum Schisma est: à corpore Ecclesiæ scissura, & separatio; omnis hæreticus est aut directè, aut indirectè schismaticus. Potest contingere Schisma, quod contra Charitatem dumtaxat peccatum sit sine Fidei offensione, speculativè loquendo; secus autem practicè.

6 Angli negantes, coacti, & inviti, Papam esse Caput Ecclesiæ, hæretici, & schismatici reputantur in foro externo; sed non sunt propriè hæretici, nec schismatici, esto sint peccatores graviter cōtra charitatem, & Fidem.

7 Præcisa separatio ab Episcopo, & sua privata Ecclesia non facit schismaticum; è contra verò, quæ fit ab Ecclesia vacante post mortem Pontificis. Pontifex ipse summus non potest esse schismaticus. Primi parentes dum peccarunt speciem hæresis commiscere, schismaticos appellare non audeo.

8 Verba illa *tibi dabo Claves Regni Cœlorum* soli Sancto Petro sunt dicta. Clavium potestas hæc, Petro concessa, spiritualis est, & ecclesiastica, temporalem verò, & politicam non excludit.

9 Apostolos potuisse indirectè Sanctos canonizare, affirmamus, quamquam non directè, & propriè.

10 Omnino impudenter agunt Lutherani, ac Calvinistæ, dum negant, esse in Scripturis, quo Ecclesiæ Sanctæ firmitas, seriesque successorum Petri probetur.

11 Si S. Petrum Romæ Ecclesiam erexisse, non patet, notum non est, esse Romam.

12 Priùs Apostoli fuerunt instituti tales, quàm Episcopi, nec cum facti sunt Sacerdotes, Episcopi facti sunt.

13 Sanctus Paulus fuit certò Episcopus, non certò ab Apostolis factus. Romæ Episcopum egisse, negari nequit; ex quo non sequitur, fuisse Romanum Episcopum, imò nullius certæ, ac determinatæ Ecclesiæ fuisse Pastorem, arbitramur, sedereque in Romana Cathedra non decuisse (quidquid cantauerit insanè Gallus ille anonimus) recensemus.

So-

14 Sola Scriptura Sacra non est iudex controversiarum, sed Pontifex per se, & ex cathedra, vel simul cum Concilio definiens. Scripturam, & traditiones, quas veras, & necessarias admittimus, normã definiẽdi credimus. Ab Ecclesiæ Monarchia, Una, Sancta, Catholica, Apostolica, atque Visibili, Catechumeni non excluduntur.

15 Antichristum fore unum certum hominem, ac singularem, cui Catholicorum dubium? plures usque modò venisse, nondum verò principalem, doctrina est Sanctorum Patrum.

16 Nascetur Antichristus ex vero Patre, & Matre Iudæis; mentieturque, se faciens ex Tribu David; nam, ut Scripturæ loquuntur, ipse erit ex Tribu Dan: nascetur Romæ secundùm quosdã: in urbem Dan apud alios: ancipites sumus nos, & solùm, quòd sedem suam locavit in Hierosolymis, Salomonisque Templum sit reædificaturus, asseveramus.

17 Ultimus Imperator Romanus Antichristus erit, postquam decẽ Reges vicerit, inter quos divisum antecedet Imperium. Habebit Præcursorem; patrabit miracula; auferet Sacramenta, Sacra officia, & Ecclesiasticum cultum; locabit Imaginem suam in Templo, ex ipsaque fundet oracula. Solem stare faciet: occidet Enoch, & Eliam, elapsoque mense uno à Prophetarum morte, morietur ipse Antichristus; quem interficiet, vel Sanctus Michael, aut idem Dominus N. I. C. & post mortem Antichristi, dies 45. durabit Mundus.

18 Canonizatio est idoneum, ac publicum Catholicæ Ecclesiæ testimonium de Sanctitate, & Beatitudine alicujus defuncti.

19 Solum Papam posse per se, & absque Cardinalium consensu canonizare, tenemus.

20 Libri, qui Sacro Catalogo continentur, & idea, & norma Catholicę doctrinę, ac vitę sunt, ex Tridentino *Sess.* 4. censentur sequentes. Testamenti veteris: Quinque Moysis, idest, Genesis Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomiũ, Iosue, Iudicum Ruth: Quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nehemias: Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus,

cus, Isaias, Ieremias cum Baruch; Ezechiel; Daniel; duodecim Prophetæ minores, idest, Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias+. Testamenti novi, quatuor Evangelia secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem; Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ Pauli, scilicet ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Collossenses, duæ ad Thessalonicēses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri Apostoli duæ. Ioannis Apostoli tres. Iacobi Apostoli una. Iudæ Apostoli una, & Apocalypsis Ioannis Apostoli.

+ duo Machabeorum, primus, et secundus. ex Concilio Tridentino sess 4



Solidam nostræ hujus Columnæ firmitatem

Antonomasticè describit nomen,

Testantur Scholæ.

Omnium disciplinarum imbutus artibus,

Ita omnes suas fecit,

Ut se in omnibus æque ingeniosum,

Ac copiosum exhibeat.

In exponendis sacris paginis eruditus,

Reconditas verborum penetravit latebras.

In propugnandis studiosissimus,

Difficiliores complanavit, explanavit sensus,

Cumque in nullo non maximus fuerit,

Dubites, in quo major extiterit?

Ingenioso quidem fædere,

Theologicis laureis

Iuris canonici coniunxit lauros;

Ac omni sua ætate clarissimus,

Nostra clarior vivit,

Eruditissimis superstes in libris;

Qui licèt elingues, proprijs facundi, fæcundi laudibus,

Ricchardi testantur ingenium,

Angliæ colloquuntur gloriam.

SCHOLA FVNDATA.

Patres nostri omnes sub nube.

1 IUs Canonicum, Legali excellentius, semper est anteponendum ad illud, si sit contrarium; ideòque duorum testimonium sufficit in testamento; dum ultra Presbyter Parochialis, & non alius interveniat; peccabitque mortaliter, qui testamentum impugnet, prætextu deficientiæ solemnitatis septem testium.

2 Non ita poscitur necessaria Presbyteri Parochialis præsentia, ut sit prorsus insupplebilis; pro eodem namque supponent rectè duo testes alteri, ultra primos duos, quos diximus; testamentumque coram istis quatuor factum non solùm in foro canonico, verùm & in foro civili roboris obtinet firmitatem. Tenet item testamentum, quod in præsentia duorum est ad pias causas conditum.

3 Statutum de fæmina non testatura, alios vel cõtractus factura sine duorum proximorum consensu, non locum sibi vendicat, quando fæmina disponit ad causas pias.

4 Statutum, quòd bona non possunt alienari, in forenses, vel in non subditos, non retinet suam vim, dum in Ecclesiam alienantur; item nec Laicorum impediens liberam dispositionem pro anima, valet factum statutum.

5 Clericus non potest testari de acquisitis per Ecclesiam, etiam quòd mobilia sint, potest tamen de bonis per Ecclesiam habitis aliqua elargiri Pauperibus, vel Servitoribus, de bonisque suis proprijs testari.

6 Parochianus tenetur ex juris dispositione aliquid Presbytero Parochiali relinquere, & si elegerit sepulturã in alia Ecclesia, debetur tali Presbytero Canonica portio de relictis Ecclesiæ nisi ipsi Presbytero Testator aliquid reliquerit.

7 Canonica portio debetur Episcopis de omnibus relictis pijs factis locis, quæ nec per testationẽ valet prohiberi, nisi Episcopo quid relinquat Testator. De bonis Ecclesiæ Cathedrali relictis, Episcopi est prima pars; secunda est Canonicorum, & aliorum;

tertia pauperum, Fabricæque quarta.

8 Executrices testamentorum possunt deputari Fœminæ; item Clerici possunt esse Executores; Fratres Minores minimè. Executores testamenti qui sunt, commutare nequeunt usum destinatum per Testatorem, etiam si meliorando procedant.

9 Hæres non conficiens inventarium, tenetur Creditoribus ultra vires hæreditarias, etiam de jure canonico, sed non in foro pænitentiali. Hæres, à quo aliquo respectu alienatur hæreditas, non ideò perdit nomen hæredis.

10 Bona patrimonialia Clericorum decedentium ab intestato ssine Consanguineis, pertinēt ad Ecclesiam, cui tempore mortis uę serviebat Clericus, & si Ecclesiam non habuerit, Episcopus de jure est hæres, potiùs quàm ut possideat, ut disponat.

11 Ultimum Ecclesiæ supplicium est anathema, sive excommunicatio, & hæc in sensu communi, nihil aliud est, quàm Censura privans Communione Sacramentorum tantùm, aut Sacramentorum, & hominum. Cum sine expressione majoris, vel minoris Iudex simpliciter excommunicat, de majori tenenda est excommunicatio.

12 Excommunicatio ab homine lata moritur ipso mortuo, aut separato ab officio; aliter verò se habet, quæ à jure lata est. Cum Iudex excommunicati nō est ille qui excommunicat, excommunicatio est invalida, similiter quando fertur contra tenorem privilegiorum, vel post legitimam appellationem, vel quando contra aliquem datur, eo quòd fecerit aliquid rectè, vel quando Excommunicator excommunicat eos, qui cum excommunicato à se participant, non nominando eos expresè, trina previa monitione cum aliquo intervallo dierum.

13 Denuò resuscitatus, non moriturus, nequit excommunicari: Itē nec Iudæus, nec Ethnicus, nec Cathecumenus, tandem, nec summus Pontifex.

14 Excommunicatum minori excommunicatione potest absolvere quicumque Sacerdos authoritatem habens supra mortalia. Ille, qui excommunicavit, si non sit Sacerdos, non potest excommunicatum absolvere in foro cōscientiæ, esto valeat in foro fori.

SEPTI-

SEPTIMA COLUMNA.



F Rancifcum de Mayronis
Parentum pietas illuminatum defideravit;
Dei beneficentia dedit.
Adultus virtutem
Antequam polliceretur exibuit;
Bonarum artium auidus;
Malarum nefcius;
Vt Mineruam raperet;
Litteris Ioannis XXII. Parifios profectus;
Ita eam coluit, vt mereretur habere;

Ita

Ita habuit, vt à nullo dedignaretur accipere.
SCOTO PRECEPTORE dignus auditor,
Imò nullius eſſe diſcipulus rennuens,
Omnium ingenia collegit in ſuo,
Docere nunquam deſinens,
Seu diceret, ſeu audiret.
ROBERTO REGI Siciliȩ apprimè charus,
Laboribus ſuis abſumebat alienos.
Nulli non intimus, omnium ſenſit incomoda,
Ita miſeros audiens, vt felices dimitteret,
Ita feliciores admonens, vt linqueret infelices.
Principibus Elezeario, Roberto, & alijs
AEquè carus, ac vtilis,
Veneratus vt Patres, Corexit vt Pater;
In hoc verendus,
Quod contemneret neminem;
In hoc timendus, quod Chriſti cauſam reputans ſuam,
neminem formidaret.
Multa denique cum geſſerit admiranda
Nihil Sorbonico Certamine,
Quod primus inuexit,
Valuit facere mirabilius:
Sibi honor, & gloria
Illius quod vulgò per Galliam dicitur:
Franciſcanus aperit, Dominicanus claudit.
Felix cuius in vita nihil adeſt arguendum
Nihil in doctrina damnandum.

SCHOLA ILLVMINATA.

1 IN principio creavit Deus Cœlum, & terram, &c. idest in, filio creavit Deus Pater Cœlum, & Terram; potest nec non supponere pro primo instanti temporis, ly in principio.

2 Philonem, Procopium, ac Caietanum de ordine Creationis opinantes, non attendas, sed cum communi Doctorum arbitrare, naturales fuisse sex illos dies, per quos à Moysè traditur rerum à Domino facta series.

3 Creavit Deus Cœlum, &c. minimè solum Empyreum, sed etiam alios, quos non ex aqua, vel simili preiacente materia; insimul creavit Omnipotens.

4 Et terram, &c. non nudam, neque absque forma, licèt inanem, & vacuam: imò eodem primo die quatuor elementa fuisse creata, conformius est Sacro Codici.

5 Terra autem erat inanis, &c. hìc potiùs intelligenda est carentia dispositionis, quàm substantialis formæ spoliatio.

6 Et tenebræ erant super faciem abissi, &c. per abissum ponimus elementorum omnium congeriem.

7 Et Spiritus Domini ferebatur super aquas, &c. Voluntatem Dei infinitam, atque ipsius intellectum pro Spiritu Domini judicamus, Platonemque exponentem, idest, aer erat super aquas, reprehendimus.

8 Dixitque Dominus: fiat lux, &c. lucem creatam fuisse primo die, scriptura declarat, non esseque eandem Solis, existimo contra opinionem eximij Patris Suarez, rigidè valdè exclusam à Cornelio à Lapide.

9 Probabilius est, Solem non habuisse in se lucẽ, imò nec ipsum quo ad substantiam; item Lunam, cæteraque astra fuisse producta, nisi primùm quarto die.

10 Fiat lux, &c. non imperavit, cui faceret, non ipse dixit, & alter fecit, nec ipse fecit, sed postea quàm dixit; omnia namque quæcumque Dominus dixit, ab eodem tunc facta sunt. Ex quo ipse produxit lucem hora sexta primæ diei immediatè, sine corpore luminoso in nostro hemispherio, ad alterumque promovit,

&

& non per motum localem, sed per novæ lucis novam actionem.

11 Dixitque Deus: fiat firmamentum, &c. Istud fuit opus secundæ diei, in qua disposuit Altissimus, omnes cælestes Orbes post Chrystallinum usque ad ultimum, nempe Lunæ.

12 Dixit verò Deus: congregentur aquæ in locum unum, &c. in tertia die congregavit omnipotens aquas in locum unum; nam, licèt essent in sua forma substantiali productæ, tamen non erant in certo determinato loco, sed cooperiebant cunctam terræ superficiem, & evaporabant in aera; quod vitæ animalium futuræ procul dubio foret obnoxium.

13 Germinet terra herbam virentem, &c. adhuc in hac tertia die omnino è terra productas herbas, & plantas actualiter fuisse, annuit communis sententia, cum qua, & asserimus terram non aliter concurrere, quàm subministrando materiam.

14 Germinet terra herbam, &c. ergo tempus germinandi erat: in quo autem tempore fuerit Orbis creatus? quæstio est non parva Doctorum: sunt, qui in mense Martij resolvant, nec desunt qui in mense Septembris putēt; judiciū verò nostrum problema.

15 Dixit Deus: fiant luminaria in firmamento, &c. fecit Deus Solem, & Lunam in quarta die, non æqualis magnitudinis; nec Luna creata fuit cum majori, ut rudè fabulantur Iudæi. Lunam creatam fuisse plenam, non prorsus planum, cæterū probabile est.

16 Dixit etiam Deus: producant aquæ, &c. istud fuit opus quintæ diei, in qua produxit Deus pisces, & aves ex aqua, licèt non eodem modo, quia pisces de pura aqua crassa formati sunt; aves autem de aqua magis resoluta, & contemperata qualitati aereæ.

17 Adamus creatus fuit vel in Hebron, vel in campo Damasceno (præscindimus) non ex terra quatuor partium Orbis, sed ex illa, quæ proximior erat creationis loco: fuit igitur creatus Adamus diluculò: hora tertia Evæ copulatus: sexta hora tētatus: hora nona è Paradiso ejectus: prophetavit, sepultusque fuit in eodem loco, in quo Crux affixa est.

Omniaq quæ ab istis septem Doctoribus in exponendo Petrum Lombardum per quatuor sententiarum libros sunt dicta, defendimus.